





Disputatio VIII.
DE OFFICIO
DOMINI NOSTRI

Iesu Christi,

EX ARTICULO TERTIO

Augustanae Confessionis:

Cuius subiectas Theses,

DIVINA ASPIRANTE GRATIA,
PRAESIDE AEGIDIO HUNNIO, S. Theologiae
Doctore & Professore, M. IOANNES NEOCO-
RUS Rostochiensis, die 18. Augusti, in Collegio
Disputationum Theologicarum pri-
vato, tueri conabitur.



WITTEBERGAE

Excudebat Vidua Matthæi

VVelaci.

ANNO M. D. XCIII.



DISPUTATIO
DE OFFICIO
DOMINI NOSTRI

EX AUCTORITATE S. PATRI

DIVINA ASSISTENTE GRATIA
HABENTE GEORGIUM HORN O.S.T.
DOCTOREM THEOLOGICUM M. JOHANNES NODD-
RUS PROFESSORIS, DIE 15 AUGUSTI, IN COLLEGIO
DISPUTATIONIS THEOLOGICAE PR-

Excudebat Vidua Matthei

ANNO M. DC. LXXII



DE OFFICIO CHRISTI.

Propositio I.

Sequitur secundum caput Tertij articuli Augustanae Confessionis, quod circa officium Christi explicandum occupatur.

2. Id notatur his verbis: natus ex Maria virgine, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis patrem & hostia esset non tantum pro culpa Originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

3. Et paulò post, consentitur subscripti Principes & civitates, Christum ascendisse ad caelos, ut ad dextram Dei sedens sanctificet credentes in ipsum, misso in corda ipsorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur ac vivificet eos, ac defendat adversus Diabolum & vim peccati.

4. Quin si accuratè velimus differere, dicimus, omnes Articulos quos de Christo ponit Confessio, pertinere coniunctim ad officium ipsius.

5. Nam ideo incarnatus & homo factus est, quia officium eius requirebat, ut esset Deus & homo, utriq; parti reconcilianda consubstantialis, Deo & hominibus, tanquam unus ille Mediator Dei & hominum. 1. Tim. 2.

6. Si solùm mansisset Deus, pati non potuisset; si nudus fuisset homo, non potuisset PRO NOBIS pati.

7. Aeternus enim Deus offensus, aeternam igitur esse oportuit personam, quae in assumpta carne PRO NOBIS, adeoq; ad totius Mundi reconciliationem pati ac mori posset.

8. Nativitas eius ex virgine pertinet ad officium ipsius, quia non communi ratione homo nascitur, ut alij, sed ratione planè singulari, NOBIS nascitur; ut & Esaiæ dicitur: Puer

A 2 natus

natus est NOBIS, filius datus est NOBIS. Et Angelus ad Pastores ait : VOBIS natus est hodie Salvator &c. Luc. 1

9. Etenim nativitate sua, qua secundum carnem ex Spiritu sancto conceptus, & per immaculatam nativitatem in mundum natus ex virgine est, sordes impure & inquinatae nostrae nativitatis eluit & expurgavit.

10. Passio eius, crucifixio, mors & sepultura, tota spectavit huc, ut reconciliaret nobis Patrem. Descensus ad inferos, sive illum referas, ut facit Psalmus, 16. ad statum exinanitionis, ut complectatur infernales cruciatus, quos adhuc vivus in horto & in cruce expertus est, ut & descensum in sepulchrum scripturae phrasi infernum dictum: sive referas ad statum exaltationis, ut aliqui volunt, id est, ad Triumphum, quo se victorem mortis, inferni & Diabolorum demonstravit: similiter ad officium Christi spectat, evacuans nobis imperium satanae, totumque regnum tenebrarum evertens, atque ipsam adeo captivitatem captivam ducens.

11. Opera precium autem est expendere consensum Prophetarum veteris, & Evangelistarum Apostolorumque novi Testamenti, quomodo ea, quae historia Evangelistarum de nostro Messia refert, olim per Prophetas inspiratione divini spiritus praedicta sint.

12. Nativitatem eius ex virgine notat Spiritus sanctus, cum ipsum nominat semen mulieris, Gen. 3. subindicans, fore illum mulieris filium, non viri.

13. Et Ieremias cap. 31. quando novum quid in terra creatum iri confirmat, ut femina circumdet virum; id quod Christiani interpretes haud abs re ad Mariam virginem in utero suo concipientem & gestantem virum Messiam, eternum aeterni Dei patris filium, accommodant.

14. Maximè verò praedicta ea nativitas est, Esaiæ 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Immanuel,

*Nativitas Christi
notat*

Iam

15. *Iam passio Christi prefigurata est typo serpentis a- nei in deserto, cuius in ligno suspensi obtutu sanabantur, quot- quot ab immisissis serpentibus erant vulnerati.*

16. *Quem typum Salvator ipse nobis explicat, Iohan. 3. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet exal- tari filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.*

17. *Quin sacrificia veteris Testamenti, precipue agnus paschalis, vacca rufa extra castra combusta: hircus in festo propiciationis emissus in desertum, impositis ei populi peccatis: Sacerdos ipse sanctum sanctorum annuatim ingressus semel non sine sanguine in festo propiciationis: hanc Christi Re- demptoris passionem luculenter velut ob oculos posuerunt.*

18. *Præter typos & figuras illustra extant in Scriptura veteris Testamenti de Passione venturi Messie vaticinia.*

19. *Veluti Gen. 3. Semen mulieris conteret caput tuum, & tu mordebis calcaneum eius.*

20. *Psalmo 22. de passionibus suis clara voce conque- rentem filium Dei introducit Psalmista: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

21. *Ipsam quoque genus passionis & mortis exprimit: foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me, divi- serunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

22. *Esaie 43. Servire me fecisti in peccatis tuis, labora- re fecisti me in iniquitatibus tuis. Ego, ego sum, qui deleo prevaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

23. *Non minus evidens est prophetia, que cap. 50. me- moratur, sic ibi loquente filio Dei: Corpus meum dedi percu- tientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non a-*



verti ab increpantibus & conspuentibus in me. Dominus
Deus auxiliator meus: ideo non sum confusus: ideo posui fa-
ciem meam ut petram durissimam, & scio, quoniam non cons-
fundar.

24. Totum caput Esaia 53. insignis est prophetia de pas-
sione Domini, eiusq; fructu, remissione peccatorum, iustifica-
tione & salute. Cuius sententias atque verba huc referre ni-
mis prolixum foret.

25. Similiter Esaia 39. perspicue describit Spiritus san-
ctus Christum passurum, quomodo totum corpus eius madeat
sanguine, eodemq; vestes eius aspersa sint: idq; adeo hinc,
quod cum hostibus ad usq; sanguinis sui profusionem dimica-
rit, & torcular ire Dei calcarit.

26. Daniel quoque cap. 9. Christum exterminandum, id
est, crucifigendum esse predicat.

27. Zacharias in spiritu videt, quomodo illum deserturi
sint discipuli in horto, cap. 13. quomodo 30. argenteis in domo
Domini pro emptione agri figuli de hinc proijciendis ven-
dendus sit cap. 11. quomodoq; per sanguinem federis sui emittat
vinctos suos de lacu, in quo non est aqua cap. 9.

28. Quae simul omnia cunctis suis circumstantiis in Iesu
Nazareno exacte completa esse chorus Evangelistarum lo-
cupletissime contestatur.

29. Passus autem, crucifixus, mortuus & sepultus est, ut
reconciliaret nobis patrem, inquit Confessio.

30. Peccata enim omnium nostrum coniecit in illum Do-
minus. Esa. 53. & tanquam agnus Dei tollit ipse peccata mun-
di. Iohan. 1. offerens se Deo pro nobis in odorem bonae frag-
rantiae, ut hostia vere propiciatoria, cuius sanguis purgat
conscientias ab operibus mortuis. Heb. 9. & emundat nos ab
omni peccato. 1. Ioan. 1.

31. Addit autem Confessio, Christum factum esse hosti-
am, non tantum pro culpa originis, sed etiam pro peccatis
actualibus.

Si

32. Si enim lavat nos ab omni peccato: & si est propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Iohan. 2. utiq; etiam pro peccatis actualibus.

33. Quemadmodum certè Corinthios à peccatis actualibus, quæ Paulus ordine recenset, per nomen Domini Iesu ablutos esse confirmat. 1. Cor. 6.

34. Et cum Iohannes de peccatis actualibus scriberet, Filioli, hæc scribo vobis, ne peccetis, illicò subiicit: & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c.

35. Similiter Hebr. 9. legitur, sanguinem Christi conscientias nostras purgare ab OPERIBVS mortuis. Vbi Operum nomine actualia venire peccata certum est.

36. Planè ut Divus Petrus Christianos ab Ethnica conversatione, (quæ maximè in peccatis actualibus sita erat) redemptos scribit precioso sanguine agni immaculati Christi. 1. Pet. 1.

37. Exempla habemus in muliere peccatrice, Luc. 7. in Zaebeo Luc. 19. in latrone Luc. 23. in Paulo, 1. Timoth. 1. quos ab actualibus suis peccatis Christi ope & merito liberatos scriptura refert.

38. Porro Christus non pro culpa tantùm, sed etiam pro pœna satisfecit sue passionis & mortis sacrificio.

39. Quandoquidem ubi culpa sive reatus est dimissus: desinit etiam pœna propriè sic dicta, ut quæ ob solam culpam infligitur.

40. Itaque iniustitia Dei defendi non posset, si etiam expiata culpa nihilominus satisfactionem pœne pro peccatis exigeret; atque sic pro una culpa geminam satisfactionem efflagitaret.

41. Hinc Esaie 53. scriptum extat: Castigatio pacis nostræ (id est pœna) super eum, & livore eius sanati sumus.

42. Et Gal. 3. Christus redemit nos à maledictio legis, dum pro

Christus non pro culpa tantum, sed in pro pœna satisfecit

pro nobis factus est maledictum. Maledictum autem factus est, dum pro nobis ipsam pœnam sustinuit in cruce: quem admodum iterum scriptum est: maledictus omnis, qui pendet in ligno. Deut. 21. & Gal. 3.

43. Apœna igitur etiam liberavit nos Christus: videlicet à dominio Satane. Heb. 2. à morte & inferno Ose. 13. ab ira ventura. Roman. 5. & 1. Thessal. 1. à condemnatione. Rom. 8.

44. *Chrs pro omnibus
patis & mortuus*
Porro sacrificium passionis & mortis Christi prestitum est non pro aliquibus duntaxat hominibus, sed pro omnibus.

45. Si enim, ut Confessio habet, & pro culpa originis, & pro OMNIBVS actualibus hominum peccatis hostia factus est Christus: sequitur, nullum esse, aut manere ullius hominis peccatum reliquum, quod non Christi sanguine inductum & expiatum sit.

46. Hoc namq; vult locus ille Iohannis paulò ante citatus, quo Christus predicatur esse propiciatio pro peccatis, non nostris tantum (id est, credentium) sed etiam TOTIVS MVNDI, sub cuius complexu infideles etiam ac reprobos contineri sonus ipse verborum & coherencia irrefragabiliter ostendit.

47. Idem volunt reliqua scriptura loca, ut quod Christus est agnus Dei, tollens peccatum mundi. Iohan. 1. quod semetipsum dedit precium redemptionis pro OMNIBVS. 1. Timot. 2. quod per Christum illuxit gratia Dei salutifera OMNIBVS HOMINIBVS: Tit. 1. quod est lux vera, illuminans OMNEM hominem, VENIENTEM IN HVNC MVNDVM. Iohan. 1. quod in nomine Christi penitentia predicatur & remissio peccatorum in OMNES gentes, Lucæ 24. ita, ut annuncietur hominibus, ut OMNES VBIQVE resipiscant, Act. 17. quod Evangelium suum de passione & morte sua vult offerri & predicari OMNI CREATURAE

TVRAE. Marc. 16. imò quod legitur eos etiam MERCATVS, qui damnationis interitum ipsi sibi accersunt. 2. Pet. 2. & pro his mortuus, qui PEREVNT Rom. 14. & 1. Cor. 8. & quod sanctificati sanguine Christi leguntur etiam hi, qui gratiam acceptam illam sic projiciunt, ut amplius ad eam non veniantur. Heb. 10.

48. *Et quomodo reprobi iudicari possent & damnari propterea, quòd non credunt in nomen unigeniti filij Dei, & fide sibi non applicant meritum mortis eius: si hæc mors pro ipsorum peccatis nunquam esset suscepta, nec ulla unquam pro ijs hostia oblata DEO?*

49. *Errant igitur periculosè in officium Christi Calviniani, quod Christum pro solis electis passum aiunt, & intolerabilem vocem esse scribunt, Christum passum etiam esse pro damnatis, sicut Beza cum sodalitis suo Mompelgardii impiam hanc sententiam scripto ibidem proposito tueri non exhorruit.*

50. *Errarunt & Monachi, qui Christum pro peccato originis tantum satis fecisse, non etiam pro actualibus peccatis, opinati sunt.*

51. *Errant & Jesuitæ, qui Christum pro culpa duntaxat, non autem pro pœna peccatorum satis fecisse nugacissimè contendunt, omnem vim officij Christi penitus hoc commentoevacuantes.*

52. *Errat verò non uno modo, & in articulum officij Domini Iesu Christi non leviter impingit Ioannes Calvinus, qui maximam partem vaticiniorum de nativitate, passione & morte Christi, suis lubricis glossis ita prorsus enervat, ut nihil soliditatis ad probandū eis reliquum fiat. Quod ni præter meritum ei videatur impingi, exemplis minimè dubijs demonstrare iuvat.*

53. *Insignis extat promissio de Messie nativitate simul & passione, huiusq; fructu, cū dicitur ad serpentem antiquum,*
B qui.

qui est Diabolus & Satanas, ut Apocalypsis Iohannis explicat: Inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum & semen illius: ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

54. Horum verborum simplicissima sententia est haec: semen mulieris, Christum Iesum, contriturum esse potestatem antiqui Draconis Diaboli: vicissim autem Diabolum vulneratum esse calcaneum Messiae, quod in crucifixione, & morte eius evidenter impletum est.

55. Hac nisi rata habeatur interpretatio, consequetur, primario seductori protoplastorum Diabolo, nullam esse denunciatam poenam: nec ijs verbis Evangelicam esse promulgatam promissionem de Messia, adeoque primis illis seculis nullum fuisse hominibus revelatum Evangelium: quod non modo non verum, sed ne vero simile quidem est.

56. Quid vero ad haec Calvinus? Is super hanc pericopen Mosaici textus commentans ait: SIMPLICITER interpretor, hostile semper fore dissidium humano generi cum serpentibus, quale hodie cernitur. Et paucis interiectis inquit: Vno etiam tenore contexto, quod mox sequitur: ipsum vulnerabit calcaneum eius. Tale enim odium fore denunciat, ut sibi utroque citroque molesti sint: serpentem hominibus infestum fore, & homines vicissim perdendis serpentibus fore inten-

MIHI, Io.^{105.}

hanni Cal-57. Iam super eadem verba sic pergit Calvinus: in verbis vno, Theo quidem Mosis nulla est ambiguitas: de sensu vero MIHI non logorum fa convenit cum alijs. Nam semen pro Christo sine controversa cile Princi accipiunt, ac si dictum foret, exoriturum ex mulieris semine pi, caetero aliquem, qui serpentis caput vulneraret. Eorum sententiam rumq; Do libenter meo suffragio approbarem, nisi quod verbum Semis & Aposto nis NIMIS VIOLENTER ab illis TORQUERI vido. Quis enim concedet, nomen collectivum de uno tantum homine accipi? Deinde sicut dissidij perpetuitas notat

ear: ita per continuam aetatum seriem promittitur victoria
joboli humana. Generaliter ergo Semen interpretor DE P O-
STERIS.

58. Quis hic non videat, quantum non modo Iudeis pa-
trocinium praestet Calvinus in eludendo insigni hoc Evan-
gelio primo; verum etiam quam grandem dicam absurdita-
tis imò falsitatis scribat Apostolo Paulo? qui vocabulum Se-
minis, aliàs collectivum, in talibus promissionibus de VNI-
CO homine Iesu Christo hac meridiana luce clarius expo-
nit, & Calvinus glossam ex professo confutat: inquit Gal. Calvinus
3. Porro Abrahæ dicta sunt promissiones & semini eius. Non Cenfor A-
dicit, & seminibus tanquam de MULTIS sed tanquam de postoli Pau-
VNO, & in semine tuo, QVI EST CHRISTVS. li.

59. Hoc itaque pacto fundamentum ipsum promissionis
evertens Calvinus frustra deinde laborat ad Christum apta-
re, quae prius SIMPLICITER ad humanum genus retu-
lit, inciso iam nervo scripturae, & ipsiusmet Apostoli Pauli
interpretatione superbè adeò reiecta, adeoq; toto eo loco Mo-
saico ad retundendam Iudeorum pervicaciam inutili red-
dito.

60. Pari modo tractat promissionem de Christo, Gen 22.
& alibi: in semine tuo benedicentur omnes familiae terre.

61. Hic etsi vocabulum Seminis Divus Paulus aperte
conferat in unum & solum Christum, quemadmodum modo
perspicuè verbis eius evicimus: Calvinus tamen Soli verita-
tis obloquens scribere non erubescit: Paulus NON SINGV-
LARI NUMERO NITITVR, ut de VNO homine Calvinus
dictum hoc fuisse probet. super 3. cap.
Galat.

62. At Paulus aperte nititur singulari numero, ut de VNO
homine, qui est Christus, hoc dictum fuisse probet. Ita namque
B 2 que



que scribit: Non dicit: SEMINIBVS, tanquam de MVLTIS, sed tanquam de VNO: & in SEMINE tuo, qui est Christus.

63. Estq; idem genus perfidie & fraudulentie, quo promissioem de Christo, Deut. 18 cap. promulgatam in fraudem Christiane fidei corrumpit.

64. Etenim cum dicat ibi Dominus: prophetam excitabo vobis ex medio vestrum: quantumvis id Petrus deo reusosq; & Stephanus Spiritu sancto plenus, ad unum solum Prophetam Iesum Nazarenum unice referant, Act. 3. & 7. tamen Calvinus Petro & Stephano longe doctior & sapientior, omnia & à sublimi despecta illorum interpretatione longe aliam comminiscitur.

65. Ita namq; in Zach. 13. caput commentans verba „ Mosaica promissionis eludit: Vbi dicit Deus, Prophetam excitabo vobis ex medio vestrum, cerre illic NON fit mentio unius Prophetæ solum: sed complectitur Deus OMNES PROPHETAS: ac si diceret: non destituam vos salutis doctrinam, & singulis etatibus ostendam, me gerere curam vestri, quia semper aderunt Prophetæ, quorum ore declararem, me vobis esse propinquum.

66. Ite nunc, tu Dive Petre Apostole, tuq; sanctissime Protomartyr Stephane, & vaticinium Mosaicum amplius de solo Christo explicare, ad Iudeos partim convertendos, partim redarguendos: inconsulto Calvino, ipsorummet Apostolorum Magistro, de propriis omnibus illa Mosis verba contra vestram paraphrasin in emolumentum Iudeorum enarrantem, & censoriam virgulam in Scripturam Apostolicam sibi palam usurpante.

67. Illud porro Ieremia 31. Novum creabit Dominus super terram: femina circumdabit virum &c. quam perverse tractat Calvinus, quam falsè ridet piam & convenientem Christianorum interpretum expositionem?

Christiani

68. Christiani, inquit, ferè uno consensu hoc interpreta- Calvinus
ti sunt de Maria virgine: & movit eos nomen miraculi: de- super Ie-
inde fortè nimis cupidè arripuerunt, quæ visa sunt facere ad rem. cap 31.
mysterium salutis nostræ. Dicunt igitur, hanc esse rem no-
vam, de qua loquitur Propheta, quòd virgo gestaverit utero
suo infantem Christum, sed simul virum, qui scilicet plenus
fuit divina fortitudine, quamvis secundum carnem creve-
rit & statura, & sapientia, & virtute. Meritò hoc ridetur
à Iudæis, inquit, irrisor iste.

69. Sententiam verò ipse supponit hanc: perinde est, in-
quit, ac si dixisset propheta: redigent fœmina viros in an-
gustias, ita, ut ipsos captivos tentent. Sed utitur singulari
numero quasi dicat: fœmina una præstabit multis viris, hoc
est, singuli Iudæi præstabunt singulis Chaldæis: ita Iudæi
superiores erunt, quamvis magnam & terribile sit robur
hostium.

70. Obsecro te, mi homo, quisquis es, an non egregiè ri-
demur à Sathana. Reijcit orthodoxam & catholicam exposi-
tionem Christianorum, congruentem cum scopo totius capis
tis, quod nihil aliud, quàm res ad Christi adventum atque
regnum pertinentes complectitur: congruentem cum vati-
cino proximè precedenti de Rahele deplorante filios suos:
cum prophetia quoque de antiquando pacto veteri & eri-
gendo novo: quam Heb. 8. Spiritus sanctus ad Christi offi-
cium refert: atq; interim hæc explosa supponit nobis hic A-
ristarchus glossam, nec manus habentem, nec pedes videlicet
per fœminam esse intelligendam fœminas, per fœmitas por-
rò Iudæos per virum viros, per viros verò Chaldæos.

71. Si igitur Iudæos meritò ridere censet Calvinus Chri-
stianorum interpretationem: nos vicissim censemus, Chri-
stianos meritò ridere Calvinum rudem & insulsam para-
phrasin.

83. Iam si examinemus loca, quibus de passione Messie
vatici.

vaticinatus est Spiritus sanctus: deprehendemus, Calvinum
precipuas prophetias glossis suis ita malitiosè corrupisse, ut
se non ipse, ac certè Spiritus, cuius afflatu corruptelas illas pro-
didit, hunc sibi finem propositum habuisse videatur, ut Iudeo-
rum animos in obstinata incredulitate confirmaret.

73. Psalmus 22. ita luculenter passionem Domini com-
memorat, ut videatur ibi David non Prophetam agere, sed
Evangelista fungi officio: cum & vocem Domini Iesu, quam
ei sensus infernalium pavorum ac terrorum expressit, reci-
tat: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti; cum san-
nas atque irrisiones hostium, ipsaq; illorum verba, quibus
pendentem in cruce Dominum essent derisuri, enumerat:
cum ei manus atq; pedes in cruce transfossum iri predicat,
cum denique divisionem illam vestium Salvatoris in Spiritu
cominus intuetur.

74. Ideoq; Matthæus & Iohannes in descriptione histo-
rie passionis Christi prophetiam illam in Christo Iesu evi-
denter impletam referunt: quemadmodum & Epistola ad
Hebr. cap. 2. versiculum illum: Narrabo nomen tuum fra-
tribus meis; in medio Ecclesie laudabo te, eò refert, quod
Christus non dubitet nos suos appellare fratres.

75. Nec dubium ullum est, quin Christus ex Psalmis de-
monstrans, oportuisse se ita pati, hunc 22. Psalmum præ cæ-
teris allegarit, ex eoq; suam passionem ita cælitus olim predi-
ctam esse ostenderit.

76. Calvinus autem, Matthæo & Iohanne Evangelistis,
Autore Epistole ad Heb. imò Christo ipso sapientior, id quod
illi simpliciter ad Christum referunt, interpretatur de Da-
vide, & que illi secundum literam accipiunt de transfos-
sis Christi manibus atque pedibus, de divisis vestimentis,
de sorte missa super tunicam eius, ipse studio metaphoricè
exponit,

exponit, & hunc insignem Psalmum diabolica prorsus audacia in detrimentum fidei Christianorum longè alio detorquet.

77. Ad versiculum Psalmi: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, sic inter cetera Calvinus in Psal. 22. annotat: Si Davidem obijciant nunquam fuisse cruci affixum, facilis solutio est, METAPHORICE conquestum esse, non secus se constringi ab hostibus, quam qui perfossis manibus & pedibus ad lignum affigitur: quales etiam METAPHORAE paulò post occurrent.

78. Illa porro verba Psalmi: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, hac stropha inutilia nobis adversus Iudaeos reddit: Quod, inquit Calvinus, proximo versu de vestibus sequitur, TRANSLATIVUM est. Perinde enim, ac si dixisset, fortunas omnes suas in pradam esse expositas, ut solent victores vel spolia diripere, vel inter sese sortiri, quid cuiq; obtingat.

79. Hunc metaphoricum sensum in cerebro Calviniano ita praefert autor sensui ei, quo Evangelistae verba Psalmi capiunt, ut in suo Commentario super 9. caput Iohannis non vereatur ita exagitare beatorum Evangelistarum expositionem: Locus tamen, quem adducunt (Evangelistae) ex Psalmo 22. videtur INTEMPESTIVE ad presentem causam TRAHI. Nam cum ille queratur DAVID, se hostibus praedi fuisse, METAPHORICE sub nomine vestium sua omnia designat, ac si uno verbo dixisset, spoliatum se & nudatum ab improbis fuisse. Quam figuram dum NEGLIGENT Evangelistae, à NATIVO sensu DISCEDUNT.

Calvinus urget suam Metaphoram, invitis Evangelistis & Apostolis. Calvinus multò multò rectius intelligit Prophetas quam Evangelistae.

80. An non hoc est Luciferiana superbia, supra sanctos Apostolos se efferre, & horum se constituere censorem? & prophe-

prophetia, qua omnium maximè niti poteramus contra Iudeos, neruum omnem uno ictu incidere?

81. Itaq; si Calvinus agat cum Iudeo, probaturus ei passionem Messia ex hoc Psalmo 22. nihil adversus eum proficiet.

82. Poterit enim Iudeus Calvinum proprio gladio ingulare, & ex ipsius verbis respondere, licet Evangelistae textum Psalms ad crucifixionem Christi accommodent, in qua manus & pedes eius transfixi sunt: tamen Psalmista verba non κατὰ τὸ πρῶτον, sed Metaphoricè esse accipienda. Quam figuram dum negligant Evangelistae, discedere illos à nativo sensu, & omnino videri locum psalmi intempestivè ad presentem causam TRAHERE. Hæc enim Calvinus sunt emblemata.

83. Venio ad Esaia vaticinia. Memorabile est & sole illustrius, quòd Messiam introducat Propheta dicentem, Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare fecisti me in iniquitatibus tuis. Ego, Ego sum, qui deleo peccata tua PROPTER ME, & peccatorum tuorum non recordabor. Esa. 43.

84. Qui locus ab interpretibus Christianis ipso verborum sensu simplicissimo postulante de passione Domini Messia & illius fructu explicatur.

85. Calvinus hæc reÿcens ait: Qui hunc locum de Christo exponant, sensum Propheta TORQUENT.

MIHI, Iohanni Calvinus, Censori, Doctori, & Magistro Theologorum veterum & recentium

86. Quare simplicior MIHI videtur hæc interpretatio. Conqueritur enim Dominus, quod homines eum peccatis suis molestum onus subire coegerint, qui tamen reverenter se ei subycere debuissent. Nam cum insurgimus adversus Deum, eum quasi servum protervia & petulantia nostra reddimus. Hoc autem melius exponit, cum ait, se laborasse, id est, varia tedia devorasse ob nequitiam iam populi sui. Ipsam enim quodammodo vulneramus & configimus, ut inquit Propheta

Propheta, eum respicimus ipsius vocem, neque ab eo regi nos
patimur.

87. Hoc Calvinii glossema verè contrarium & à textu
clarissimo Propheta dissentaneum est, quem tamen factum
suam à mirificè admiratur Calvinus, ut unanimi Christiano-
rum sensui anteferre nihil dubitet.

88. Porro vaticinium de Messia, præbente corpus suum
percutientibus, & genas suas vellitantibus, & faciem suam
non abscondente à conspuentibus in ipsum, Christiani de
Christo suo rectè ac merito intelligunt, eoq; Salvator respicit
contestans, suis discipulis, impletum iri, quæ propheta dixe-
rint de filio hominis **CONSPVENDO**. Luc. 18. & exactè
hec in Domino Iesu accidisse in palatio Pontificis, Evanges-
lista concordibus suffragijs lucidissimè contestantur.

89. At Calvinus de ipso Propheta mavult exponere, cum
caecis Iudeorum Rabbiniis, quàm cum Orthodoxis interpre-
tibus de Messia.

90. Dulcem illam Prophetiam Esa. 63. de Christo à cæde
hostium reduce, conspersis sanguine vestibus eius, propterea,
quod torcular ipse calcarit solus, & de gentibus non sit vir
cum eo &c. præterquam quòd circumstantia ipse ad Messiam
pertinere arguant, ostendit insuper Apocalypsis Ioannis, de
Christo sonare Propheta verba.

91. Etenim cap. 19. Apocal. introducitur is, cuius nomen
est λόγος Dei, Rex Regum & Dominus dominantium: hic
extenore vaticiniij huius conspicitur indutus veste tincta
sanguine, & predicatur de eo, quod ipse calcet torcular vini
furoris & ira Dei omnipotentis.

92. Contra hæc Calvinus in suo commentario sic è tri-
pode sue sapientia pronunciat: Hoc caput, inquit, **VIO-
LENTER TORSERVNT** Christiani, quasi ad Chri-
stum hæc pertinerent; cum Propheta simpliciter de ipso Deo
pronunciet; atq; **FINXERVNT** hic rubicundum Christum

C quod

quod sanguine proprio madidus esset, quem in cruce fuderit.
Atqui *NIHIL* tale vult Prophetæ.

93. Idq̄ ipsum, quod Apocalypsis Christo tribuit, videlicet, quod solus ipse calcarit torcular iræ Dei: Calvinus ait *RIDICULUM* esse referre ad Christum; hoc pacto scripturam ipsam ex alto deridens ac despiciens.

94. Progrediamur verò in examine corruptelarum. Zacharia 13. capite vaticinatur Spiritus sanctus, quomodo percusso pastore dispergantur oves. Quod Christus ipse non solum ad se transfert, sed etiam fugam illam discipulorum à suo Domino verbis illis Prophetæ indictam, ideoq̄, vi huius prædictionis ceriò complendam testatur.

95. Econtra noster Calvinus super ipsum illum locum commentans: Nostri, ait, ferè *OMNES* restringunt hunc locum ad personam Christi, quia Matthæi 26. citatur sententia illa, percutiam pastorem & dispergantur oves. Sed *NON* videtur solida esse ratio, quia, quod de pastore dicitur, potius extendi probabile est ad ipsum ordinem totum: quem admodum ubi dicit Deus, Prophetam excitabo vobis è medio vestrum, certè illic non fit mentio unius Prophetæ solum, sed complectitur Deus omnes Prophetas.

Vtrunque
hoc falsum
esse, docet
allegatio
Christi &
Apostolorum
eius.

96. Promptum foret corruptelas monstrare plures, præsertim etiam quomodo vaticinium Psalmi 16. quod de resurrectione Christi liquido enarrat Petrus Apostolus, labefecerit, quomodoq̄ prophetiam Osee 13. (De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, & mors, morsus meus ero, inferne) ab Apostolo Paulo de beneficio r. resurrectionis Christi expositam, aliò torqueat, eamq̄ interpretationem, quæ Pauli Apostoli autoritate nititur, Luciani in modum rideat & exagitet: sed quia huiusmodi glossæ una cum his, quas in articulo de Deo, de Trinitate, & de Deitate Christi ostendimus, in unum libellum, addita necessaria & solida refutatione colligentur, ego iam desino.

Ex

97. Ex his verò patet, quomodo penè omnia vaticinia de passione, ut & resurrectione Messie funditus evertantur, si Dominari in Ecclesia dedebat iudai & anti Calvini protervia in eludendis his predictionibus, ex quibus Christus ipse demonstravit, sic oportuisse se pati & intrare in gloriam suam: ipsiq; Agostoli conciones amplissimas inde extruxerunt & Inacos refutarunt.

98. Quarum in refutando vis omnis expirabit penitus, si eas iudaicis glossis Calvini debilitari, imò convelli & dirui patiamur: haud aliter ac si Prophetæ vix ullibi ex professo de summis his articulis egerint, sed ferè tantum typicas instituerint conciones his de rebus, aut literali & nativo sensu ad Davidem, aut aliquem alium, anagogico verò, & improprio sensu, & non, nisi secundaario ad Christum respererint obiter: cum tamen hic fuerit principalissimus illorum scopus, ut in ipso supremo capite Prophetice sue scripturæ Messiam nobis unâ cum beneficijs eius illustratum proponerent, teste Christo Iohan. 5. & Luc. 18. & 24. & Petro Act. 10. & 1. Epist. 1.

99. Porro quemadmodum Christus sacrificio crucis & mortis sue peccata delevit, & resurrectione iustitiam in Adamo amissam, vitam, perfectamq; redemptionem acquisivit: ita beneficij sic acquisiti, appellationem ascensu Christi in celos & sessioni ad dexteram Dei acceptam referè Augustana Confessio.

100. Ideò namq; ascendit, ut ad dextram Dei sedens sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum S. sancto.

101. Ideoq; primam quoq; effusionem illustrem illam Spiritus Sancti super Apostolos in die Pentecostes Divus Petrus ostendit esse beneficium exaltationis Christi: Dextera Dei exaltatus effudit hoc, quod videtis & auditis.

102. Petro subscribit & Paulus Ephes. 4. ascendit supra omnes

omnes caelos, ut impleret omnia: & alios quidem dedit Apostolos, alios vero Prophetas, alios Evangelistas &.

103. Cumq; haec exaltatio obtigerit Christo secundum ascendentem naturam humanam: profanum est eam ab actionibus divinis huius officij secludere, & non nisi humanas illi concedere, quod hodie Calvinista faciunt.

104. Denique redibit Christus palam in novissimo die, ut iudicet vivos & mortuos.

105. Quae potestas iudiciaria quoniam ei tradita est, quia filius hominis est. Iohan. 5. & vero iudicabit in eo iudicio occulta tenebrarum, & cogitationes consiliaq; cordium, utique etiam qua filius hominis est, ea noverit oportet.

106. Reliqua quae huc amplius conferenda erant, studio praetermitto, ne iusta brevitatis fines transsiliam.

F I N I S



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK







Disputatio VIII.
DE OFFICIO
DOMINI NOSTRI

Iesu Christi,
EX ARTICULO TERTIO
Augustanae Confessionis:

Cuius subiectas Theses,
DIVINA ASPIRANTE GRATIA,
PRAESIDE AEGIDIO HUNNIO, S. Theologiae
Doctore & Professore, M. IOANNES NEOCO-
RUS Rostochiensis, die 18. Augusti, in Collegio
Disputationum Theologicarum pri-
vato, tueri conabitur.



WHITEBERGAE
Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci.
ANNO M. D. XCIII.

